



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 29. Sixtus V. homagii pensum pro Neapolitano Regno recipiens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

dium opponeret: Verum ad restauran-  
 dum ordinem, ac disciplinam via pe-  
 nitus opposita utebatur, quippe die pri-  
 ma Julii severissimum edictum adversus  
 exules, ficarios, fures, eorumque re-  
 ceptores condebat, cum vero tam  
 prudentis legis vim ob neglectam illius  
 executionem prorsus inutilem reddi  
 pertimesceret, illius curam quinque  
 præcipuis Cardinalibus, Columnæ,  
 Spinolæ, Gesualdo, Cananio, & Sal-  
 viato commendabat, eosque per varias  
 ditionis ecclesiasticæ Provincias distri-  
 buebat: porro eorum sollicitudine hoc  
 edictum omni severitate effectui daba-  
 tur, præcipue Bononiæ, ubi Pepuli-  
 ensis Comes, qui plures proscriptos suo  
 favore dignabatur, eisque asylum sup-  
 peditabat, suum scelus capitis poena  
 eluere cogebatur, quippe Bononiæ ca-  
 pite plexus obiit, frustra pro eo depre-  
 cantibus illius Amicis.

## §. XXIX.

*Sixtus V. homagii pensum pro Nea-  
 politano regno recipiens.*

Hoc publicæ securitatis studium sum-  
 mus Pontifex severius continua-  
 bat, cum vero quamdam ambitionem  
 præferre videretur, Philippus II. su-  
 spicari cœperat, perinde ac si Neapolis  
 regnum rursus ecclesiasticis ditionibus  
 U 2 aggre-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1583.

Thu. l. 12.  
 Leti. l. c.

Leti. l. 6.

Sæcul. XVI. aggregare intenderet: unde autem Rex  
A.C. 1585. hoc autumandi ansam arripuerit, per-  
 cipiamus. Die vigesima nona Junii di-  
 vo Petro sacra hoc anno Hispaniæ Le-  
 gatus unacum septem aureorum mil-  
 lium marsupio pro veteri more in Nea-  
 politani regni homagium summo Pon-  
 tifici equum phaleratum offerebat, si-  
 mulque a suo Principe iustus Six-  
 tum V. veneratus eidem significabat,  
 a se hoc donum afferri in signum, quod  
 Neapolis regnum jure feudi sacræ Sedi  
 obnoxium esset. Hunc Legatum Pon-  
 tificex eo modo excipiebat, ut ipsi nec  
 donum, nec homagium acceptum esse,  
 Orator crederet, in sua opinione  
 magis adhuc firmatus, eoquod Ponti-  
 fex subridens responderet: „singularis  
 „plane tua est salutatio: Certe admo-  
 „dum eloquentem te esse oporteat, si  
 „regni reditus cum unico equo commu-  
 „tandos esse, persuadere velles: Ve-  
 „rum haud diu rem ita fieri confido: „  
 ex postremis igitur hisce verbis Lega-  
 tus Pontificis animum detexisse persua-  
 sus Regem Hispaniæ ea de re certiores  
 reddidit, unde Petrus Gironius Ossu-  
 næ Dux, tunc Neapolis Prorex hujus  
 regni fines protegere, ac dextere Pon-  
 tificis molimina explorare jubebatur.